

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3439

**Auteur(s) :** Henri d'Avaugour [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Louis IX, France (roi)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1233, 2 septembre

**Lieu d'émission :** Beaumont

**Action juridique :** échange

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Henri d'Avaugour cède à Louis [IX], roi de France, son château de Pontorson avec toutes ses dépendances ayant appartenu à lui et à sa femme Marguerite, en échange d'une terre estimée en équivalence qui lui a été assignée à Trévières ou à Soulles et Moyon.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 400, p. 64.

Texte établi d'après a

Ego Henricus de Avaugor, notum facio omnibus ad quos littere presentes pervenerint, quod ego karissimo domino meo Ludovico Regi Francorum illustri concessi quod ego castrum meum de Ponte Ursionis cum ejus pertinentiis ad me et Margaritam uxorem meam pertinentibus eidem domino Regi in scambium tradam, per estimationem et considerationem venerabilis in Xpisto patris G. Carnotensis episcopi et domini Gaufridi de Capella, ad aliam terram in equivalentia michi assignandam apud Triverias vel apud Sole et Moyon, ad quem videlicet de dictis locis maluero. Si vero alter de duobus dictis locis quem melius eligere voluero non sufficeret ad valorem Pontis Ursionis, id quod deficeret de equivalentia assignaretur et perficeretur michi extra fortericiam, extra castrum, extra feoda militum et extra boscum, secundum quod assignari posset propinquius loco michi assignato. Valor autem Pontis Ursionis taxari debet et estimari secundum quod tempore pacis valebat, videlicet tribus annis, sive duobus, sive uno ante guerram. Terram vero illam que michi assignabitur ego tenebo ad usus et consuetudines quibus Pontem Ursionis tenebam. Bosci autem illi, qui erunt michi in loco assignato, michi assignabuntur et appreciabuntur tali modo quod de eisdem meam facere potero voluntatem. Ego quidem in loco michi assignato potero facere talem domum, per consideratio nem domini episcopi et domini Gaufridi predictorum, in qua uxorem et liberos meos secure possim dimittere, ita quod tuti sint a latronibus et vicinis. Et sciendum quod idem dominus Rex michi et heredibus meis garantizabit omnia que michi fuerint assignata, eodem modo quo Pontem Ursionis michi debebat garantizare. Et ego predictum excambium teneor facere laudari ab uxore mea supradicta, et ego et heredes mei tenemur garantizare dictum excambium Pontis Ursionis eidem domino Regi et heredibus suis contra dictam uxorem meam et ejus heredes. Alioquin dictus Rex posset capere et in manu sua tenere dictum excambium, quod michi facit pro Ponte Ursionis, et totam aliam terram meam de Normannia, quousque rehaberet in pace et quiete dictum excambium Pontis Ursionis erga predictam uxorem meam et ejus heredes ipsius. In cuius rei testimonium presentes

litteras sigilli mei munimine roboravi. Datum apud Bellum montem, anno Domini MCCXXXIII, mense septembris,  
die veneris in crastino sancti Egidii.